

**De ungue oculi seu pure inter corneae lamellas collecto ... / praeside Burc.
David Mauchart ... disputabit pro licentia ... doctoris rite capessendi,
respondens Carolus Ferdinandus Bilger.**

Contributors

Bilger, Carolus Ferdinand.
Mauchart, Burchard David, 1696-1751.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Georg. Frid. Pflickii & Joh. Dav. Bauhofii, 1742.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ap88cdhd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
UNGUE OCULI
 SEU
PURE INTER CORNEÆ
LAMELLAS
COLLECTO.

PERMITTENTE
 GRATIOSA FACULTATE MEDICA
P R A E S I D E
BURC. DAVID MAUCHART,
 Med. & Chir. D. Consil. & Arch. Wirtemb. Med.
 Anat. & Chir. Profess. Ordin.

Disputabit
P R O L I C E N T I A
 Summos in Medicina honores & privilegia
 Doctoris rite capessendi,
 RESPONDENS
CAROLUS FERDINANDUS BILGER,
 Esslingenensis,
Ad Diem Jul. MDCCXLII.

T U B I N G Æ,
 Typis GEORG. FRID. PFLICKII & JOH. DAV. BAUHOFII.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30780974>



PRÆFATIO.



Uperrime conscriptas dissertationes , alteram de hypopyo , alteram de empyesi ophthalmiatricas nunc presso pede sequitur præsens de Ungue oculi . Connexæ revera sunt materiæ , sed ita per varios autores implicitæ & confusæ , ut , qui non ipsos adiuerit fontes harum appellacionum , in bi-vio , quin tri-vio hæreat ambiguus , quem secludem velit debeat ve ? Non vero de nominibus saltem agitur impertiendis in doctrina de morbis oculorum , sed de vetustissimis illis medicorum notionibus secundis jam olim stabilitis , atque sic deinceps de tota cuiuslibet affectus theoria ac praxi . Nostra enim sententia , quin communi procul dubio omnium saniorum , denominaciones morborum , à vetustissimis atque celeberr. introductæ medicis , ac ci-vitate medica donatae , retineri debent omnes , nec innovari aut mutari , nisi e-videns & summa jubeat necessitas , aut recentioris affectus novi dubii ve natales id exigant absolute .

Id vero male habet plerosque quod in ophthalmatria maxime videantur entia præter necessitatem multiplicari , totque

distincti affectus oculorum venditari, qui tamen in multo minorem contrahi possent numerum. Respondebimus alio loco ad speciosam omnino hanc objectionem ex professo, & ingenue docebimus, ubi vela contrahere liceat, ubi non? Hac vice per trigam dissertationularum, supra memoratam, ipsa re demonstravimus, ni fallimur, distinctos omnino affectus esse, hypopyum, empyosin & unguem oculi.

Dictatoriam ne per somnium quidem affectamus auctoritatem, neminemque jubemus in nostra jurare verba; speramus tamen fore, ut, qui à præjudiciis liberi, nec philautia sunt occati, vel manus dare vietas canæ auditorati, cuius in hac re omnino pondus est maximum, atque luculentis sufficientibusque rationibus, vel meliora docere haud sint deditiatur; Nos enim ipsi veriorem, à quocunque prolatam, semper ambabus amplectemur sententiam, atque sic etiam à B. L. veniam decenter efflagitamus, si ipsa hæc de ungue oculi tractatio non satis demorsos sapere videatur unguis. Supplices vero EUM, QUI omnium perfectionum fons est & distributor, imploramus ardenter, velit conatibus nostris ex alto clementer bendedicere!

§. I.

Unqvis natουρητικός ἔξοχην dictus quam denotet naturalem corporis partem in vulgus innotuit. Quam varias vero significaciones & homonymias subeat græcorum ὄνυξ, latinorum unguis, ob brevitatis studium transmittimus. (a) Inter has præsentis disputationis objectum est, morbus oculi, per metaphoram ὄνυξ, unguis dictus.

Quam

(a) Vid. ὄνυχος, unguis, homonymiæ in Scapul. Lex. græc. & Foësii Oeconom. Hippocrat. voce ὄνυξ. It. Bronon. Lexic. Med. voce unguis.

Quam varia autem sit hujus etiam acceptio atque dolenda *confusio* mox *cum hypopyo*, mox cum *pterygio*, jam nuperrime ingemimus. (b) Scilicet quod celeberr. *Heisterus* annotat: (c) mirifice in designandis oculorum morbis ac nominibus vel recentiores etiam Medicos adhuc dissentire: tam verum est, quam quod verissimum. Igitur ab ovo rem ordiemur, &, quam possunt haberi, antiquissimas aliquot notiones unguis oculi *præmittemus*, ut constet, quo sensu veteres acceperint illum.

§. 2.

Ex *Hippocrate* non habemus, quod huc trahamus: Non enim nisi vel communissima unguis, ceu partis in corpore humano naturalis, vel pro unco ferreo, ad fœtum mortuum extrahendum, acceptio in illius scriptis & nobis evolventibus, & diligentissimo Foësio notata est. Author vero medicarum finitionum, quem aliqui *Galenum* prætexunt, ita, sed obscure satis, describit unguem: (d) Suppuratio s. unguis ($\pi\upsilon\omega\tau\varsigma \eta \ddot{\nu}\nu\xi$) est collectio puris in nigro, (e) cum inflammatione secundum iridem ungui consimilis. In *isagoge* (f) afferuntur tanquam distincti affectus, pterygium, hypopyum, unguis & diapysis, in medio autem versionis latinæ, quam Joh. Andernacus adornavit, atque revidit Barthol. Sylvanius, pessime $\tau\circ \pi\lambda\epsilon\gamma\mu\circ\iota\circ\nu$, in græco textu obvium, per unguem est versum. *Paulus Aegineta* (g) clare ac distincte

A 3

pro-

(b) Disp. de hypopyo p. 4. in fine.

(c) Laur. Heisteri Chir. Lat. Cap. 60. de hypop. p. 628.

(d) Finit. med. p. 48. edit. latin.

(e) $\kappa\alpha\zeta\mu\epsilon\lambda\alpha\nu$ vertit Barthol. Sylvanius Salohens. it. Foësius in nigro, & lò. $\pi\epsilon\circ\delta\circ\iota\eta\circ\iota\circ\delta\iota$, secundum iridem. Quamvis autem fortasse rectius *illud* reddatur: circa nigrum: *hoc* circa vel prope iridem; tamen neque hæc emendatio nodum solvit, ut alibi jam monuimus.(f) Sive sit Galeni, s. Herodoti fœtus hæc *isagoge*, cap. 15. de oculor, affect.

pronunciat, unguem vocari, cum membrana cornea purulenta efficitur, nunc altius, nunc in superficie, ita ut pus habeat unguis figuram: quæ causa sit, quod hoc etiam malum unguis oculi nominetur.

Aureliano (h) dicitur ὄνυξ, unguis: in oculi circulo nata macula albida, quæ in unguis similitudinem, nascentis vel crescentis lunæ cornibus respondens paulatim sumit augmentum.

Actuarius (i) totidem verbis repetit Pauli definitionem unguis, quod & alii plurimi sequentium seculorum medici græci, Arabes & Latini fecere, quos omnes allegare superfluum videtur.

Aëtius (k) paulo accuratius unguem definire censetur abs Gorraeo in definit. medicis, quando Ille sic habet: ὄνυχια sive ὄνυχας dici, cum ab ulcere profundiore pus defluere & inter tunicas illapsum ac in circulo iridis figuratum, unguis resecti imaginem refert; Hypopyum vero idem author dicit multo abundare pure & dimidium nigri occupare aut per totam tunicam corneam pellucere. Ideoque πυώσεως duas constituit quasi species, ὄνυχα & ὑπόπυον, sic tamen, ut differentiam in sola unguis similitudine ponat, quæ εν τῷ ὄνυχι perspicua, εν τῷ ὑπόπυῳ nulla sit.

An vero puris vel quantitas, vel figura merito duas affectus species constituere ac diversas denominations efficere debeat, è principiis tam logicis quam medicis merito dubitatur? Unde nos potius assurgimus doctissimo illi ophthalmiatio Guillemæo (l) qui pyosin

(g) Pauli Æginetæ Enchirid. L. 3. C. 22. quæ ibid. allegatur ὑπόπυος ὁ κερατούς, recte vertitur cornea purulenta à Stephano in vocab. med. exposit. It. à Foësio in cœcom. Hippoc. tit. ὄνυξ: Male vero ab Alban. Torino &c. vid. not. m. Disp. Præsidis de Hypop. p. 5.

(h) Coel. Aurelianus Acutor. L. 2. C. 32.

(i) Actuarius, Zachariæ filius, de method. medend. C. 9. de oculor. vitiis.

(k) Aëtius Tetrabibl. L. 7.

(l) Joh. Guillemeau in Tract. de morb. oculor. Cap. de hypopyo, quod quidem ultima syllaba male scribit per simplex i.

pyosin pro genere constituit, unguem vero & hypopyon pro speciebus, sic ut *Unguis* vocari debeat atque *definiri*: Quod sit *affectus oculi p. n. lis* consistens in collectione ac stasi materiae purulentæ inter lamellas tuniceæ corneæ, vel exteriores magis, vel interiores, mox ad circulum corneæ inferiorem, mox superius, mox versus medium, cum ophthalmia & visus obnubilatione variisque aliis symptomatibus juncta.

Quale *pus* stagnans emulatur figura & colore modo *unguum* in digitis resemina, ἀπονυχίσματα: modo *lunulam* illam albida, in radice unguis humani in digitis obviam, aut aliâs etiam *lunam cornutam*, maxime quando *pus* exigua quantitate ad circulum inferiorem corneæ residet, inter corneæ tamen lamellas adhuc conclusum.

§. 3.

Hærens inter ultimas corneæ lamellas interiores hocce *pus*, atque circulo corneæ interno (quem Aëtius, suprà §. 2., circulum iridis vocat) proximum existens imponit facile incautis, ac si in ipsa oculi camera anteriore jam esset effusum, unde forsitan quoque *ratio* pendet *confusionis* inter unguem & hypopyum, à nonnullis veteribus commissæ. Interim quamdiu *pus* inter corneæ substantiam lamellasque conclusum manet, *unguem* effici, quamprimum vero corneam intrò perforat & in primam oculi regionem destillat ac colligitur, *hypopyum* generari, &, si idem in cornea delitescens *pus* illius lamellas perfodiat vel externas saltem, vel omnes quascunque transversim, sic ut cornea orificio hiet angustiore, per quod in priore casu *pus* effundatur, in altero ipse etiam humor aqueus eructetur, *fistulam corneæ* constitui, distincte & rectius statuendum videtur.

Craffissimus *error* est meritissimorum cœteroquin authorum, quod græcum Galeni textum latine reddentes, tot in locis, ubi Ille vocabulum, πλεγύιον, posuit, hi verterint per vocabulum *unguis*. (m)

Idem

(m) Edit. octav. Oper. Galeni, latine redditor. Venet. in fol. An. 1609. Exempla malæ versionis præbent hæc loca: de simpl. med. facult. L. 8. Titul. Tithymal. It. L. 11. tit. Sepia. It. de different. morb. c. 13. circa med. & finem. It. de Tumor. c. 16.

Idem error cecidit etiam in *Celsum* (n) dum unguem putavit esse, quod græci pterygium vocant, scil. membranulam nervosam, ab angulo ortam, quæ nonnunquam ad pupillam quoque perveniat, eique officiat &c. nisi quidem, ex Woolhusii mente, error hic rejiciendus sit in Celsi amanuenses & descriptores, qui loco unguæ, quæ omnino species est pterygii, posuerint unguem. Reætius enim & nomini non modo, sed ipsi etiam rei convenientius appellasset Celsus τὸ πτερύγιον, latine *albulam*. Itaque inepta illorum versio atque Celsi hic qualiscunque error ac authoritas effecerunt procul dubio, ut quamplurimi è recentioribus, imo recentissimis, alioquin præstantissimis atque celeberrimis auctoribus in hæc devia pariter sint lapsi, quos vero neutiquam heic redarguere, sed tædioso saltæ labore, in has vocum origines inquirendi, levare, cetera vero scapham appellare scapham voluimus.

§. 4.

Unguis ergo facile distinguitur ab *hypopyo*, quod in hoc pus sit sub cornea, inter hanc & iridem effusum, collectum atque stagnans in fundo regionis primæ oculi, in ungue vero hæreat adhuc in ipsa cornea, plus minus profunde inter hujus tunicae lamellas, modò inferius, modo in medio, modo superius. A *pterygio* discriminatur evidentissime per hujus definitionem galenicam: (o) quod nempe πτερύγια sint germina adnatæ oculis extrinsecus membranæ, quæ ab ipso periostio delata ad coronam perveniat. (p) Ab *empyesi* l. *diapyesi* quod in hac pus hæreat in secunda oculi regione, s. camera, post uveam, cornea vero à pure libera sit. (q) A *pyosi* dividitur.

(n) Corn. Celsus de re med. L. 7. C. 7.

(o) Galenus de Tumor. p. n. Cap. ult. It. Isagog. de oculor. affect. C. 15.

(p) Pterygium vocarunt olim quoque unguis alicujus in dito pedis manusve carnis incrementum, partem unguis operiens, in pedibus ex offensione, in manibus è neglecta reduvia & post inflammationem in pus mutata. P. Æginet. L. 6. C. 85. It. L. 3. C. 81.

(q) De *empyesi* oculi, ex professo illustrata, vid. Disp. Præsidis.

viditur ut species à genere ; Pyosis enim est suppuratio, conversio in pus, quælibet, in genere. Hinc Author vetustissimus finitiorum medicarum (§. 2.) male, aut inconsiderate, pyosin pro synonymo & æquipollente ὄνυχος, unguis, habuit.

Verùm aliae adhuc sunt *pyosis species*, scilicet suppurationis in ipsa tunica cornea, quæ unguem proprius referunt: Nimirum tot si non omnino species, tamen varietates ulcerum, macularum atque cicatricum. Cum vero singulorum vel sola enumeratio nimium nobis heic eriperet spatum, itaque brevem duntaxat *cynosuram* suppeditamus, unde diversa hæc corneæ mala facile *dignoscantur*: Ulcera, maculæ, cicatrices corneæ, superficiem hujus externam tantum non semper occupant, cum pus in ungue hæreat sub extima, imo aliquot exterioribus corneæ lamellis: Maculæ etiam & cicatrices, qua tales, sine doloribus, ophthalmia visusque molesta sensatione ac chronicæ sint, diuque, quin jugiter permaneant, & pelluciditatem in superficie amiserint, unguis vero molestum dolorem, visus nimiam sensibilitatem & turbationem inferat, & vel brevi dissipetur, l. pus effundat in cameram oculi, aut forâs, efficiendo tûm ulcus aut fistulam corneæ, l. & denique, siccato pure & condensatis corneæ stratis, maculam relinquat: Excoriationes ulcerosæ, atque varia ulcera, superficiem corneæ convexam obscientia manifeste sistant inspicientibus solutionem continui ac erosionem plus minus profundam, quæ plane non obveniunt in ungue. Itaque differunt hæc ulcera ab ungue, ut ulcus ab apostemate scilicet exstinctu: ibi pus in aprico est, & è saucia exstillans cornea: heic conclusum inter corneæ lamellas.

Paulo difficilior est diagnosis, si tale *ulcusculum* resideat in concava corneæ superficie, uti talia aliquando occurrere suo loco ostendemus. Unde attendendum est in tali casu ad profunditatem ulcerationis, ad nitorem & pelluciditatem lamellarum corneæ anteriorum scilicet exteriorum, intimarum vero nubeculosam alboflavescentem inquinationem, cui aliquando jungitur totius aquei humoris in camera anteriore turbiditas.

§. 5.

Pauca ex his præmissis supersunt phænomena unguis constitutiva atque concomitantia : scil. corneæ superficies convexa lævis quidem & polita perstat sine erosione aut ulceratione, ordinario etiam sine notabili elevatione aut protuberantia p.n.li , sed ex ipsius tamen substantia manifeste transparet albida , vel è flavo albescens purulenta materia, stabilis, certo loco defixa, nunc inferius versus circulum & connexionem corneæ cum sclerotica , id quod frequenter obvenit, vel circa medium aut superiorem quendam corneæ locum, variæ magnitudinis & figuræ, quibus mox lunulam, mox resegmina digitorum æmulatur. Si altiore loco hæreat pus in cornea, & quantitate augeatur, descendere solet pedetentim inter lamellas corneæ in locum decliviorum. Conjunguntur inflammatoria atque ardens plus minus rubedo conjunctivæ, luminis molesta sensatio, visus ordinario quædam obnubilatio & obfuscatio, præsertim si pus in cornea hæreat è directo pupillæ : in aliquibus dolor capitis, in pr. hemicrania lateris affecti; illachrymatio, pruritus.

§. 6.

Phænomena consequentia : Pus inter corneæ lamellas si exiguae sit quantitatis & benignæ qualitatis dissipatur aliquando sponte naturæ, aut per supervenientem ophthalmiam, quæ piurimum materiæ pittitosæ & glutinosæ è glandulis palpebrarum sebaceis fundit, derivatur, aut per medicamenta in - & - externa resolvitur ; Si vero copia abundet, aut acrimonia peccet, erodit lamellas vel anteriores I. posteriores, atque si forâs eructetur, efficit ulcus, si intro, hydropicum : Si totam corneæ substantiam perfodiat, fistulam corneæ parit, è qua non saltem pus atque humoris aquei portio statim effluent, sed & posthac quotidie humor aqueus ceu per siphonem elidetur ; Imo vero si perforatio amplior sit, metus adhuc gravior imminet prolapsus uveæ, & quæ hinc consequuntur, molestissimorum ac periculosorum symptomatum aliorum. Si condensetur ac tandem exsiccatur stagnans hæc materia viscoso-purulenta cudet vel albuginem s. levcoma, vel aliam densiorem & indelebilem relinquet corneæ condensationem albidiisque obfuscationem,

tionem, quemadmodum & in adultis & senibus post operationem unguis, dextre licet peractam, ordinario relinquitur eo loci macula & cicatrix alba, quantumcunque illa lœvis fuerit & æqualis.

Unde quo amplior, diffusior, profundior & pupillæ magis obversus unguis, eo difficilior est curatio, eoque major fœdæ, visumque impeditis posthac maculæ & cicatricis metus. E contrario quo subjectum est junioris ætatis, minoris cacoehymiaæ, quo unguis est benignior, à centro s. medio corneæ remotior, quo superficialis magis, quo citius rectiusque subjicitur operationi chirurgicæ, si medicamentis cedere nolit, quo post ejus compunctionem chirurgicam externæ corneæ lamellæ brevi evadunt flaccidiores & rugosiores, eo major pleniorque spes affulget curationis, quæ per modum fit sic dictæ exfoliationis.

§. 7.

Pathologia. Unus est *morbis conformatio-*nis in meatibus, canaliculis atque poris corneæ dilatatis & infarctis à materia stagnante purulenta. Aut considerari potest etiam qua *symptoma qualitatis* mutatæ, scil. pelluciditatis, qua cornea gaudet naturaliter, abolitæ, & inducti p.n. coloris flavo-albescentis, cui ergo symptomati morbus, tanquam causa proxima, subest is ipse conformatio-nis, in lime hujus paragraphi allegatus. *Subjectum morbi*, quod \mathfrak{G} cause heic ordinario simul esse solet, est tunica cornea, $\pi\alpha\tau'$ $\epsilon\xi\omega\chi\eta\nu$ dicta, sive portio scleroticæ anterior diaphana. (r) Constat hæc e pluribus

B 2

(r) A celebre Winslovio, aliisque cornea oculi tunica dividitur in opacam, s. scleroticam & in diaphanam, quæ cornea $\pi\alpha\tau'$ $\epsilon\xi\omega\chi\eta\nu$ audit aliis, hancque continuationem videri scleroticæ asserit oculatiss. ille Anatomicus, in Expos. anat. in 4. Paris. 1732. p. 662. §. 214. Sed nobis distincta videtur & diversa valde esse cornea à sclerotica per strukturam manifestius atque copiosius porosam & lamellatam, transparentiam, turgiditatem succulentam, intumescentiam & incrassationem notabilem, dum in aqua maceratur, per vasorum mere lymphaticorum, nullam san-

pluribus lamellis, s. stratis sibi invicem appositis, (s) sed intime connexis, ita ut nullum inter se vacuum aut interstitium relinquant. Extima harum lamellarum, tenuissima, videtur esse progenies & continuatio conjunctivæ, super totam corneæ superficiem convexam subtilissime expansæ. (t) In statu naturali, sano, nulla unquam vasa, sanguinem rubrum vehentia exhibet, in p. n. li vero vasa hæc, ob impulsum sanguinis arteriosi fortiorum, dilatantur atque crassiores sanguinis portionem, purpuram, admittunt, id quod maxime appetit in morbo, *cornea venositas*, dicto, item in ophthalmiis externis. Instructur cornea plurimis poris, (u) qui diaphanum laticem in sanis, glutinosum in moribundis atque de-

mor-

sanguinis portiorem rubram vehentium in statu scil. sano, & denique per distinctum, singularem obliquum utriusque tunicae concursum & implantationem.

(s) Mediante cultro anatomico possunt dividiri in numero plures, 6. 8. 12. In cadaveribus aliquandiu asservatis haud raro sponte una alteraque exteriorum harum lamellarum secedit.. Post operationem unguis, & in aliis corneæ morbis, pariter illæ videntur manifeste separari & quasi exfoliari. Veteribus non fuerunt ignotæ, sub nomine corticum corneæ, ut passim è Galeno patet.

(t) Demonstravit id plus semel in anatomiis publicis Præses. Consentit Winslov. in Expos. anat. p. 674. §. 274. Confirmant varii & plurimi oculorum morbi, quos, brevitatis studiosi, prætermittimus.

(u) De his vid. Nic. Steno in Tract. de musc. & gland. Jac. Hovijs Tract. de circulari humor. motu in oculis p. 90. Jac. Benig. Winslow dans les memoires des scavans, Anni 1721. edit. Amstel. p. 417. it. Ejusd. exposit. anat. p. 662. §. 216. Poros vero hos corneæ rectilineos supponi debere videtur, tam ejus diaphaneitate, si in naturali maneat situm, quam ex operatione corneæ & contractis albidis maculis post vulnuscula atque ulcera ejus consolidata ut plurimum relictis, per condensationem scil. & obstructionem horum pororum.

mortuis plorant, quiue in horum oculis manifeſte aliquando, & subinde per modum telæ, ſuperficiem corneæ investit, poſt mor tem vero è cornea, digitis compreſſa, clare ſatiue copioſe per ſuperficiem corneæ extērnam exſtillat. Unde hic veniat humor, non æque planum eſt? An à Nuckii duetibus aquoſis? quibus Ille quidem humoris aquei ſecreſionem modò tribuit. An à vaſculis excretoriis glandulæ innominatae, (lachrymalis np.) nunc duobus, nunc tribus, in bobus maxime obſervatis ab Hovio, humore claro pellucido repletis, ex parte inferiore illius glandulæ oriundis atque circa corneæ circulum iſam ſubintranribus corneam, prout *Hovius* deſcribit & delineat. (w)

An vero, quod probabile, à ramificationibus arteriæ carotidis extērñ orbitalibus, à ramo carotidis maxillari interno dicto profi cificientibus, & per anastomofin junctis circa medium bulbi cum ramis internæ carotidis, utpote quæ ramificationes non tantum ſu perficie corneæ, ſed & toti ejus ſubſtantia inſeruntur? Aut denique num hic corneæ humor partim debeatur transpiranti per cor neæ poros humori aqueo, in prima oculi regione obvio? quæ Nuckii eſt ſententia: (x) acriter vero & plauſibilibus impugnat ar gumentis abs Hovio. (y)

Ita pariter ſub judice lis eſt, num humor ille diaphanus cor neæ, ad hujus nutritionem & humectationem destinatus, per cor neæ poros, quos Hovius l. c. nihil aliud eſſe, quam orificia du etuum ſuorum excretoriorum, è glandula lacrymali oriundorum, reputat, partim excernatur in ſuperficiem corneæ convexam, pro ejus perpetua humectatione, partim per venas ad cor revehatur? Sicuti Hovius ſtatuit l. c. Num vero abſorbeatur fortalſis atque revehatur in communem humorum & ſanguinis maſſam, per illa corneæ plurima vaſcula nova, ſecundum longitudinem decurren tia,

B 3

(w) Jac. Hovius Tract. de circular. humor. motu in oculo. 8.
Lugd. Bat.

(x) Ant. Nuck. Sialograph. & duetuum aquosor. anatome vova. 8.
Lugd. Bat. 1690. p. 111.

(y) Hoy, de circular. humor. mot. in ocul. p. 86. ſqq.

tia, quæ neque sanguiflua, neque lymphatica sint, quantumvis lymphaticorum æmula, & per quæ, juxta mentem & descriptio-
nem Ruyſchii, (z) reducatur humor aqueus, advectus per du-
ctum Nuckii, vel alium ignotum? problema est.

§. 8.

Prolixior hæc corneæ, tanquam subjecti affectus nostri, de-
scriptio anatomico-physiologica, in quantum scilicet morbum hunc
ocularium respicit, præmissa multis phænomenis in ætiologia, pro-
gnosi ac therapia lucem accedit, sponte sua radiantem. *Causæ proxima*
unguis est stagnatio stasisque inflammatoria sanguinis,
lymphæque è vasculis tenuissimis corneæ p. n. dilatatis effusi inter
corneæ lamellas atque in suppurationem abeuntis. *Causæ antece-
dentes & procatardicæ* sunt: stimulus, irritatio, iectus, collisio,
contusio bulbi anterioris, ophthalmia gravis, chronica, frequens,
vesiculæ, phlyctenæ, præcipue vero *pustula variolosa*, corneam
obsidens & pus suum inter corneæ lamellas effundens. Accidit
aliquando sponte, à causa interna, talis pustula variolosa corneæ,
uti paſſim in tota reliqua corporis peripheria, sive apertæ maneant
ſerventurque variolosorum palpebræ, sive clausæ. Intempestiva
vero muliercularum sedulitas atque panicus terror ſæpe nostro un-
guis affectui tum viam sternunt. Uti enim in quamplurimis vario-
loſis palpebræ salutari quodam cæmento & glutine per aliquot dies
coalescunt, atque ſic non modo contra moleſtum lumen munijun-
tur, ſed quam maxime etiam contra acrimoniam & contagium
puris, vel deſtillantis è variola palpebræ aut tarsi, vel illiti per
manus digitosque impuros variolofi patientis, providiſſime mu-
niuntur; Ita peſſime agunt, qui naturale hoc propugnaculum in-
tempeſtivè dirimunt aperiuntque, niſi quidem è gravibus perpe-
tuisque oculi doloribus pulsatoriis conſtet de corneæ quadam in-
flammatione ſuppuratoria, per modum unguis, vel hypopyi, at-
que de actuali corneæ variola.

§. 9.

(z) Fred. Ruyſch. Respons. ad Christian. Wedelium de oculor. tu-
nicis p. 14.

§. 9.

Tberapia. Indicationes sunt : α) Nimum ad oculos affluxum moderari , revellere , derivare. β) Stasin sanguinis atque puris discutere , resolvere , vel , si hoc sperari , aut obtineri nequeat , γ) pus eliminare ac evacuare per operationem chirurgicam. δ) Factum hinc vulnusculum & apertum abscessulum mundicare , consolidare , lævi , ac , quantum licet , diaphana cicatrice claudere. ε) Ultimòque oculum , visumque roborare.

§. 10.

Prima indicationi, scil. nimio ad oculos affluxui moderando , revellendo , derivandoque inserviunt in plethoricis , ventilationibus sanguinis adsuetis , in suppressionibus mensium , hæmorrhoidalnis fluxus nariumque hæmorrhagiæ , aut actuali sanguinis orgasmo , & , quem vocant , raptu ad caput , *venæsecțio* brachii aut pedis *κατ' ξιν*, scil. in latere affecto , *cucurbitulæ scarificatæ* in humeris dorsoque , *birudinum applicatio* ad anum. *Pediluvia* tepida , lixiviosa : *Friktiones* pedum asperæ : *Suppedanea* acria : *Vesicatoria* pedum suris , aut brachiis imponenda : Denique præmissa sufficiente tali revulsione , & per *venæsecționem* evacuatione , ipsa internæ palpebrarum superficie scarificatio , s. *blepharoxysis*. (aa) *Enemata* , purgantia , alvum stimulantia.

§. 11.

Secunda indicationi, np. stasin sanguinis atque puris discutiendi , resolvendi famulantur *epithemata* , *sacculi* , *collyria* è resolventibus parata e. g. hyssopo , serpillo , rotemarino , fl: sambuc. lavend. croco , camphora , sem: fœnic. Rad: valer. &c. in vino , aut aq: calc: viv. & vini portionibus anaticis , leviter coctis : *Cataplasma* , è medulla pomi assati , addito croci & camphoræ tantillo , nec non antimonio diaphoretico & pulvere rad. ir. flor. *Collyria* sicca minus convenient ; Circa humida etiam caute versari oportet , ne scil. vel acri stimulo affluxum & dolores augeant , vel nimia humiditate

(aa) De hac *blepharoxysi* vid. notam inferius lit. ff.

ditate corneam imbuant, vel repellendo, obstruendo, adstringendo lupum stabulis includant. Si quæ ergo velint adhiberi, ex aq; sambuci, lavend. rosar. cum antimon: diaph. & refracta dosi camphoræ atque croci parata oculo tepida frequenter instillari, atque calefactis spleniis oculus muniri poterunt. (bb)

§. 12.

Indicationi tertie; pus inter corneæ lamellas stagnans eliciendi ac evacuandi, satisfacit *operatio chirurgica*. De hac igitur distincte agemus. *Instrumenta* huic inserviunt: Primo *acus subtilissima*, brevi ac tenui manubriolo argenteo adaptata, & firmissime conferrumina, lineæ mathematicæ, plus minus, longitudine prominens è manubriolo cuspide sua acutissima. Plura ad manus sunt eiusmodi instrumenta, aliud nempe unica saltem acu præditum, aliud duabus, quin tribus quatuorve acubus, proxime ad se invicem & in serie recta collocatis, aliud longioribus, aliud brevioribus instructum cuspidibus, prout vel superficiali, vel profundiore opus est punctione.

Woolhusius appellat hoc instrumentum gallica lingua, *le mouchetoir*: composito nomine græco vocat Præses *κατανύπτειν*, *catanyptrum*, à *κατανύπτειν*, compungere, pungendo penetrare. Actio enim hujus instrumenti consistit in eo, ut acubus illis compungatur & perfodiatur una alteraque lameilla corneæ, sub quibus pus delitescit, atque sic materia illi paretur exitus. Potest solletque huic scopo alia etiam *acus*, cataractis deponendis vulgo dicata, *teres*, *acuta* inservire.

Secundò autem, si pus vel nimis profunde delitescat, vel nimis crassum sit, quod ideo per exilia, acubus illis inficta, punctula nequeat excerni, requiritur *alia acus*, manubrio obfirmata ligneo, aliove, polygono, *modice incurva*, *plana*, à latitudine in medio

(bb) Prolixo nolumus esse circa 1. 2. & 5. hujus affectus indicationes, ne cramben recoquamus, nuper demum in Disp. de hypopyo p. 15. 16. 17. 18. liberaliter appositam. Quoad has enim indicationes par ratio est hypopyi atque unguis.

medio maxima , quæ dimidiam lineam mathematicam æquat , definens pedetentim in apicem acutum , sed tamen planum , angulis s. lateribus duobus acute scindentibus instruēta. *Speculum oculi*, (cc) & *suspensorius* palpebræ superioris *hamulus* complanatus , (dd) quibus inter operandum oculi bulbus stabiliri atque palpebra superior attolli sicque oculus plene detegi possint , ad manus quoque fungo , ut , si digitis operator suis nequeat has indicationes sufficienter exsequi , illis utatur instrumentis.

Ministri aliquot , qui caput , brachia &c. ægri , in operatione forsitan reluctatur , valide detineant , & res necessarias operatori porrigan , adsunto. In parato etiam haberi debet *decoctum aliquod* , è fl: sambuc. lavend. & semine lini , in aq: communi vel lacte coctis , cuius vapor modice calidus ad oculum affectum statim ab operatione sit admittendus. Item *sacculi* è supra (§. 11.) laudatis resolventibus in vino cocti & expressi : Et denique *potio quædam analeptica* , *spiritusque* fragrans pro odoramento , si vires deficere sentiantur.

Hypocaustum , in quo suscipitur operatio , satis *luminosum* sit atque *calefactum* , ut operator clare perspiciat locum affectum , & ær frigidiusculus liberque ab oculo arceatur.

§. 13.

Æger in lecto *supinus* collocatur , capite declivi. Caput ejus abs ministro , à vertice ægri constituto , firmissime manibus tenetur , brachia vero ab aliis amanuensibus pariter immobilia figuntur. Ipse operator alterius manus digitis , pollice ac indice diducit palpebras oculi affecti , aut hamulo suspensorio (§. 12.) palpebram superiorem vel elevat ipse , vel attolli curat per adstantem famulum. Si bulbum oculi nimis vagum & desultorium stabilire oporteat ,

C

appli-

(cc) Quale abs Woolhusio inventum delineari curavit Heisterus in Chir. lat. Tab. 17. fig. 16.

(dd) Suspensorius hicce hamulus describitur in Præsidis Disp. de hypop. p. 26. circa finem , & à celeber. Heistero per iconem sistitur in Chir. lat. Tab. 16. fig. 1.

applicatur speculum oculi §. 12. sub palpebras, quod totum in peripheria complectens bulbum, satis hunc obfirmabit. Si tamen binis hisce instrumentis supersedere liceat, & æger & operator non uno liberabuntur incommodo.

Antequam ipsa punctionis operatio instituatur, undique inspectiendum & visu explorandum est subjectum morbi, qua scilicet sui parte protuberet maxime? ubi cornea sit albidissima atque opacissima, atque sic major puris subtus latentis copia? Annon in peripheria, vel alibi, extimæ corneæ lamellæ jamjam à subjacentibus sint divisæ ac elevatae? ut scilicet operator talem maxime locum corneæ, eumque decliviorem destinet punctioni.

Pro latitudine ac profunditate stagnantis inter corneæ lamellas purulentæ materiei eligit operator catanyptrum §. 12. acu una, l. pluribus instructum, idque mox superficietenus, mox profundiis impellit, tam alte vero nunquam, ut intima ultimaque corneæ strata pertundantur: Catanyptrum inter indicem ac pollicem firmiter detentum defigit & intrudit operator rectâ & perpendiculariter semel atque simul in locum corneæ affectum, ita ut facto uno altero ve foraminulo pus subjacens exsudare queat vel sponte, vel porro ad exitum facilius promoveri. Acquiescit primo hoc tentamine chirurgus.

§. 14.

Statim ab hac prima compunctione ægri caput magis acclive collocatur atque sustinetur, bulbus oculi lavatur foveaturque partim admisso vapore tepido, (§. 12.) aut hujus decocti aliquot guttulae jugiter instillantur, aut labrum ophthalmicum (bassin oculaire vocat Woolhusius) bulbo oculi immediate superpositum, tali decocto repletur, ut hoc corneam alluat. Quæ variæ enchiræses sicut ad diluendum pus tendunt, illiusque effluxum facilitandum, ita per aliquot minuta non modo continuari, sed frequenter etiam repeti debent, impositis per intervalla sacculis resolventibus calidis, in vino coctis §. 12. vel & cataplasmatibus è medulla pomi sub cineribus assati, cui postea antimon: diaph. atque croci & camphoræ tantillum remisceantur.

Si unica primaque hac punctione, & subjunctis modo laudatis diluentibus atque resolventibus topicis remediis, intra unum alterumve diem nondum satis evacuaturn puris videatur, aliis novis locis denuo, ut supra dictum, adhiberi catanyptrum & dehinc repeti in limine hujus paragraphi laudata methodus debent.

§. 15.

Si vero *pissimia* laboret spissitudine ac *tenacitate* & per exiles has acupuncturas exire renuat, acu curva, pungente in apice, ac in lateribus scindente, (ee) qualem §. 12. descripsimus, locus corneæ affectæ tumidior, albidior atque declivior pungendus atque latiore vulnusculo aperiendus, postea vero non modo, ut §. superiori dictum, lavandus est atque fovendus, sed & instillato, altera ab hac operatione nocte, collyrio ex Aq: sambuc. hysop. valerian. ana 3vj. pollinis rad: ir: flor. Θβ-aloës socotrin. gr. iij. camphoræ gr. j. M. irroranda adque exfoliationem, s. lamellarum exteriorum separationem, leni hoc stimulo atque abstergente collyrio promovenda est cornea. Similem usum præstabunt, pinguedo viperarum, aqua ophthalmica viridis Hartmanni, & ophthalmica Quercetani. Omnia tamen acria atque septica cautissime, adstrictiva vero, qualia sunt vitriolica & saturnina minimè debent adhiberi: Imo ne quidem unctuosa tunc convenient ordinaria.

Inter hæc *interna* quoque *medicamenta* alvum blande & per *ēpīngatīv* subducentia, temperantia, absorbentia, diaphoretica possunt debentque propinari, *regimen* & *dieta* sic præcipi, ut massa

C 2

humo-

(ee) Godefr. Bidloo Exercit. anatomico - chirurg. Cap. de oculo purulento p. 93. scalpellum adhibere jubet, qui arcum, vel hominis linguam exprimat, cujusque pars anterior solummodo acuta, latera vero obtusa sint, ut ne scil. ulterius, quam velis, ruat. Ast metum hunc temperabit suspensa providaque chirurgi manus: latera vero acus scindentia eum in finem sunt necessaria, ut, quum latior est unguis, latius etiam infligi vulnus, quin ipsæ extimæ lamellæ corneæ uno ictu & perforari & discedi valeant: nostram acum v. in Heist. Chir. lat. Tab. 16. fig. 2.

humorum nec obruatur, nec in orgasmum concitetur, aut noxia inficiatur qualitate.

Imo si *ophthalmia gravior* externa vel interna subsequatur, venæsecțio pedis vel brachii, vesicatoria in nucha vel pone auriculas, tandem & palpebrarum superficiei internæ scarificatio, s. *blepharoxysis*, (ff) adhiberi debent.

§. 16.

Paucis ab illa punctione (§. 14. & 15.) diebus corneæ affectæ superficies atque lamellæ exteriore contrahunt quasi rugas atque plicas, bono faustæ exfoliationis omne, quam itaque Woolhuis adjuvare jubet hoc collyrio: Rx. Croci metallor. 3j. infundendi in aq: fœnic. 3ij. dehinc decantata, s. per inclinationem effusa hæc solutio, guttatum atque semel iterumque quotidie instillanda est loco corneæ affecto, & per minuti, vel paulo longius, spatiū palpebris occlusis est relinquenda, alternis etiam diebus pulvis subtilissimus sacchari canthi albi, in mortario plumbeo bene triti, & saturnina virtute aliquantum imbuti, loco affecto inspergendus est, utrobique vero dehinc, diductis iterum palpebris, lavare ac abstergere bulbum oportet in aqua lactis destillata, vel aqua malvæ & euphrasiæ tepide, mediante labro ophthalmico, (§. 14.) vel alia blanda ratione.

§. 17.

Leni & modica suppuratione quâdam sic *ulcusculum corneæ* magisque mundificabitur & lamellæ ejusdem corruptæ ad secessum s. exfoliationem promovebuntur, præcipue si circa vesperam aliquot guttulæ vel grana sequentis unguenti instillentur aut illinantur corneæ: Rx. Ung. de tut. 3ij. Camphoræ gr. iβ. aloës socotrin. gr. iii. m. f. Ung. impalpab. Sub ipsa vero hujus unguenti applicatione æger supinus, capite admodum declivi jacens, in hoc situ per dimidiam certe horam maneat quietus hiantibus diductisve palpebris, ut unguentum diutius inhæreat loco affecto. Postmodum clausis pal-

(ff) De scarificatione oculor. vid. Hamppii Disp. An. 1721. De ophthalmoxysi Præsidis Disp. An. 1726. De scarificatione oculor. Platneri Disp. An. 1728. in lucem editas.

palpebris imponatur calidum cataplasma è medulla pomi assati, antīm: diaph. 3j. & camphora gr. iij splenio quadruplicato obtectum, hocque fascia debite obfirmetur, aliquot dehinc horis æger aliquandiu pronus faciei incumbat, (gg) brachiis decussatim faciei suppositis, ut latentis sub cornea puris effluxus ulterior promoveatur atque simul respirandi libertas conservetur. Alternis quoque diebus sub palpebras oculi affecti sex 1. decem *grana bormini* jubet *Woolhusius* insinuare oculo, eoque dehinc occluso, per bihorium servare. Agunt hæc & tanquam solida corpuscula, quæ aliás etiam illapsas oculo impuritates & peregrina corpuscula feliciter everrunt, atque sic exiles corruptæ corneæ lacinias & lamellas extergunt abripiuntque: & ceu mucilaginosa semina, quæ demulcent atque lubricant.

§. 18.

Abscessu hoc corneæ, s. ungue, mundato & lamella, vel lamellis, corneæ corruptæ per exfoliationem ablatis, circa ejusdem consolidationem lente festinandum est: Ut enim non modo deperdita corneæ substantia regeneretur, sed nova etiam eidem inducta strata debitam obtineant pelluciditatem, lento placidoque opus est modo. Extollit in hunc finem *Woolhusius* sequens ung: &c. Ung: diapomphol. ȝȝ. pulv: g: arab. gr. vj. ol: ovor. gt. vij. Balsam: de mecha, s. opobals: veri. nec non Balsami saturni, (hh) ana gr. iij. M. probe. Poterit unguent. hoc tepefactum instillari corneæ, palpebræ desuper claudi, oculus splenio, aut sacculo sicco, è resolventibus & roborantibus concinnato, atque fascia obtegi, idque mane ac vesperi repeti, donec æqualem, lævem atque diaphanam superficiem & quasi cicatricem recuperaverit cornea, sicque cura feliciter sit peracta.

C 3

Licet

(gg) Nisi quidem unguis profunde inhæserit, atque sub hoc faciei prono situ justus subsit metus, ne intimæ corneæ lamellæ nimis protrudantur foras, per gravitantes à tergo humores oculi.

(hh) Balsami ȝ duas habet formulas Jungken in Lexic. chymico-pharmacœvt. edit. tert. part. 1. p. 63. & 64. præferimus autem priorem, quam recenset, compositionem D. Maets.

Licet vero in adultis hominibus ac in profundiore ungue cicatrix non semper debite pellucida obtineatur, sed albescens ac opaca, pejoribus tamen eventibus atque damnis pessulum obdiddisse sat est.

§. 19.

Post superatam banc curam oculis studiose aliquandiu parcat ægrotus, nec præmaturæ ad lectionem, scriptionem, solis aut splendidioris adspectum luminis eos adstringat, nec vento, fumo, pulveri exponat: Neque etiam venæsectiones atque purgationes, minimum semestres, negligat. Si cicatrix albida & opaca remanserit, sed superficialis saltem, detersio ejus paulatina suscipi potest per pulveres, aut unguenta leniter detergentia & mitissime septica. Sed dabitur alia occasio de maculis corneæ variis ex professo agendi.

§. 20.

Dn. de Saint-Yves (ii) duo monita habet, huc spectantia. Alterum: quod si, ut subinde fit, vasa sanguinea, super ipsam adscendentia & reptantia corneam, inferantur maculæ cuidam (imò & ungui) eamque nutriant, hæc rescindi debeant, subductâ quadam acu scindente, vel lanceolâ. Alterum: quod periculosa sit atque inanis illa quorundam methodus, qui pelliculam talis maculæ in cornea jubent auferre lanceolâ, vel alio instrumento, quoniam inde factum vulnus, novam, dum consolidatur, cicatricem & opacitatem, priore haud minorem relinquere debeat. Paulo tamen post expressis hæc limitat verbis, quod scil. in eo casu liceat omnino pelliculam de cornea tollere, si ex pustula variolosa se insinuaverit materia purulenta inter lamellas corneæ; huncque unicum esse causum, cui hæc operatio quadret. Sed quid obstat quæso in ungue, ex aliis etiam causis orto, similem instituere chirurgiam?

(ii) De Saint-Yves Traité des Malad. des Yeux. p. 228. seq.

T A N T U M!

NOB.

NOB. ac CLARISS.

DN. RESPONDENTI

PRÆSES.

Plus semel mihi in memoriam revocavi serium illud colloquium, quo me ante triginta hos annos medicinæ tironem dignatus est. Dn. Avus Tuus paternus, celeber. Ille ac feliciss. archiater. Hippocratica Is gravitate, subacto judicio longaque experientia præstantissimus Vir artis medicæ difficultatem & tædia, medicorum vero non paucorum infelicitatem tam nativis tunc pinxerat coloribus graphiceque descripsicerat, ut parum abfuerit, quin ab incepto me retraxerit opere. Privatum tamen hæc ipsa deinde ruminatus, difficultati laborem assiduum, tædiis patientiam, infortuniis constantiam opponi debere, omnesque tandem scopulos, aura afflante divina, superari feliciter posse persuasum habui, sicque fructum illius confabulationis haetenus obtinui amplissimum, quem ille procul dubio intenderat animo, animum expiscaturus meum. Eandem me jam pariter tibiam inflare, eandemque cantilenam plus semel auditoribus meis præcinere solitum esse haud ignoras, sed iis maxime, qui cicadarum instar, ætatis suæ ver ac æstatem cantando atque saltando transigunt, i. e. partim nihil, partim aliud, partim male agendo

do tempus misere fallunt in academiis atque terunt, de-
hinc vero post Phœbum nubila duramque variæ calami-
tatis hiemem experiuntur. Utinam nonnulli hoc sibi ca-
piant verbum, & alieno periculo sapere discant!

Hoc vero probrum, vel paterna potius admonitio,
cum TE minime tangat, Nobil. ac Clariss. Domine RE-
SPONDENS, sed potius diligentiam, mores, studia,
judiciumque TUUM practicum integro fere lustro,
quo Musas coluisti Tbingenses, abunde TU nobis pro-
baveris; Non vanam profecto videris inflare spem, fore,
ut celebritatem *Bilgeriani* nominis, quod per plures jam
generationes effloruit in medicina, pro dignitate sis
olim tuiturus.

Quare ut TU laudabilem jam studiis academicis fi-
nem imponis, sic ego tenuibus hisce pagellis nihil su-
peraddo, præter sincera omnigenæ felicitatis vota, ut
bene diuque valeas Ipse, aliosque valere facias felicissi-
me!

Ita ergo vale, iterumque vale, & me porro
ama TUI studiosissimum. Dab. Tbingæ,
d. Julii, An. 1742.

